



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Parallela Geographica Italiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

§. 1. Italiæ nomina.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13120

CAPVT PRIMVM.

De Italia in genere.§. I. *Italia nomina.*

VARIA huius Regionis nomina, apud Antiquos scriptores leguntur, quorum inusitatissima, & rarissima sunt *Arzessa*, & *Camafene*, de quibus lege Cluverium: quæ sequuntur illustrissima sunt, & à pluribus vsurpata.

SATVRNIA à *Saturno*, cuius vocis meminere Dionys. Halic. lib. 1. Iustinus lib. 43. Macrobius 1. Saturn. cap. 7.

HESPERTIA à Græcis nominata est, vel quòd in Occidentem procurrat, vel ab Hespero stellâ, vel ab Hespero fratre Atlantis qui pulsus à germano Italiam tenuit, inquit Seruius. Dicitur autem vel antonomasticos *Hesperia*, vel *Magna*, cum Hispania dicatur *Hesperia Ultima*, sic Seruius & Isidorus; *Magna* autem vocata est ob res magnas in eâ gestas vt omnes fatentur.

LATIVM quoque dicta est Italia tota, quòd in eâ Saturnus Iouis iram fugiens latuisset.

TYRRHENIA, vt vult Tzetzes in Lycophronem, & Dionys. Halicar. lib. 1. vnde factum vt Roma à quibusdam vrbs Tyrrhenica diceretur.

MAGNA GRÆCIA, vt tradit Isidorus lib. 14. Orig. cap. 4. *Italia olim à Græcis populis occupata Magna Græcia dicta est.*

AVSONIA, vt fabulantur Poëtæ ab Aufone Vlyssis, & Calypsus filio, vel vt loquitur Historia, ab Ausonibus populis indigenis, & perantiquis. Verè autem dicebatur Ausonia à Circeo Pio. ad Fretum Siculum, vt postea docebimus.

OENOTRIA, vel ab Oenotro Rege, vel *ὄπιον οἴνου* à vino optimo, vt Seruius: meliùs ab Oenottis populis nomen accepit, qui cum Peucetiis ducibus Oenotro, & Peucetio Lycaonis filiis ex Arcadiâ in extremam Italiæ partem venerunt, vnde Aufonas expulerunt, vt postea dicemus: noménque inditum minimæ parti in vniuersam Italiam propagatum est.

CHONE, vt scribit Hesychius ex Antiocho Xenophanis filio lib. 1. de Italiâ, à *Cone* Regiunculâ inter Sybarim & Crotonem.

ITALIA denique communiter vocata est, vel ab Italo quodam, vel à Bobus quos Græci *Ἰτάλοι* dicunt, ita Varro. Quis autem fuerit ille Italus discussum reperies apud Cluuerium sub initium suæ Italiae.

§. 2. *Quantitas Italiae antiquæ.*

TERMINI { *Termini antiquissimi Italiae fuerunt Æsis Fl. Iesi, & Arnus Arno, postea deuictis Senonibus Rubico Fiumecino, quibusdam Pisatello.*

ITALIÆ. { *Novi autem termini Antiquæ Italiae fuerunt ab Occidente Varus Fl. vel vt aiunt Polybius & Strabo, Alpium radices; ab Oriente Arfia, Fl. Arsa, vel vt alij volunt vrbs Pola, Pola.*

LONGITUDO { *Plinio lib. 3. cap. 5. ab Alpino iugo, seu Augustâ Prætoriâ per urbem Capuam cursu meante Rhegium; decies centena & 20. millia passuum: idem censent Solinus, & Martianus Capella.*

ITALIÆ. { *Straboni lib. 4. decies centenum millium. Rutilio lib. 2. Itinerarij: Millia per longum decies centena feruntur.*

LATITUDO ITALIÆ. { M A. { *Plinius lib. 3. cap. 18. à Varo Fl. per Vada Sabbatia Taurinos, Comum, Veronam, Vicentiam, Opi-
X I. { tergium, Aquileiam, Tergeste, Polam, ad Ar-
siam Fl. 100000 millia passuum colligit; Clu-
uerius emendat 100000. M. P.*

M A. { *Idem Plinius lib. 3. c. 10. & Solinus maximam eius
latitudinem, seu vt plurimum esse 30000. vbi
fortè error pro 100000.*

M E. { *Plinio lib. 3. c. 10. vbi minimum, ait, cxxxvi. Mil.
D I O. { Pas. Idem sentit & Solinus.*

CRIS. { *Rutilio 2. Itinerarij vbi tamen angustissima dicitur
— Augustissima tellus, Triginta & centum millia sola
patet.*

M I. { *Plinio lib. 3. cap. 10. ad portum quem Annibalis
N I. { vocant, 40. mil. pass. vbi error irrepsit pro 20.*

M A. { *Martianus Capella 20. Mil. Pas.*